
SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

Seinem verehrten Lehrer
Alfr. Fleckeisen
in dankbarer Hochachtung

der Verf.

# VINDICIAE IVVENALIANAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

CONSENSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSA

SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE IV. MENSIS MAII ANNI CIↃIↃCCCLXIV

PVBLICE DEFENDET

**BERNHARDVS LVPVS**
MOENO-FRANCOFVRTANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:
ALBERTVS FVLDA, STVD. PHIL.
BERNHARDVS ESCHENBVRG, SEM. PHIL. SOD. ORD.
GEORGIVS LAVBMANN, STVD. PHIL.

**BONNAE**
TYPIS EXPRESSIT PETRVS NEVSSER.
MDCCCLXIV.

VIRO DOCTISSIMO HVMANISSIMO

# EDVARDO STEITZ

DR. THEOL.

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS

PIO GRATOQVE ANIMO

D. D. D.

AVCTOR.

Iuuenalis satirarum ultima spuria sit an non, ut apud ueteres iudicium non constitisse scholiasta nos docet, cuius ad XVI, 1 haec sunt uerba: „Ista a plerisque exploditur et dicitur non esse Iuuenalis“, ita per totam aetatem recentiorem est controuersia. Nostro autem saeculo longius progressus est C. Kempfius, qui XV quoque satirae auctorem non esse Iuuenalem in Obseruu. in Iuu. aliq. loc. interpr. Berol. 1843 demonstrare conatur [1]). Postremo nouissimus Iuuenalis editor, *O. Ribbeckius* non solum XV et XVI spurias habet, sed praeter eas X, XII, XIII, XIV nomine declamationum a reliquis secernit, quibus insuper IV, 1—36 XI, 1—55, alias minores particulas ut additamenta demit. Contra Heinrichium et Kempfium traditionis fidem luculenter tuiti sunt W. E. Weber, C. Fr. Hermannus, L. Doellenius. Ostenderunt, omnia ea, quae illi protulerint, stare non posse, si et utramque satiram accurate compares cum reliquis, neque obliuiscaris, alteram fragmentum tantum esse, utramque a poeta aetate prouectiore esse scriptam. Quod cum perspicerem, eo magis miratus, quod Ribbeckius non solum eas satiras, quae fortasse le-

[1]) Vix enim commemorandum esse censeo, iam G. I. Vossium, quem in hanc disquisitionem nullam operam contulisse ex ipsius de illa satira verbis apparet, in Institt. poet. III 97, tum D. Heinsium, de sat. Rom. I, 62 paucis verbis eam Iuuenali abiudicasse. Heinrichius autem suam de ea suspitionem, quam in editionis uol. II, 22 profert, ipse pag. 498 remouit.

uiter percurrenti miro argumento, tractatione neglegenti, oratione languida suspitionem mouere possint, sed etiam quattuor alias, quas Iuuenalis non esse nemini adhuc in mentem uenit, declamationes posterioris temporis appellauit, consilium cepi, ut in hanc rem, quantum per uires meas liceret, inquirerem. Neque me fefellit, huius disquisitionis difficultates ea re mirum quantum augeri, quod Ribbeckius causas, quibus permotus Iuuenalem tantopere transformatum neque iam sui similem edidisset, non exposuit, nisi quod in praef. exemplar quoddam, quod casu sibi in manus incidisset, Iuuenalem ita exhibuisse dicit. — Haec autem uia mihi ingredienda erat, ut ex ipsarum Iuu. satirarum indole, quid de Ribbeckii declamationibus (nam de omnibus Ribbeckianae editionis mutationibus nos disputare uetat eiusmodi dissertationum ambitus) statui posset, hisce pagellis exponerem. Dico ex ipsarum satirarum indole, quod causas externas, quibus Iuuenali eas possis abrogare, omnino deesse in propatulo est. Nam quod Ribb. de codice aliquo antiquo, quem exemplar illud mirum secutum esse putat, suspicatur, id omni uerisimilitudinis specie destitutum mihi uidetur esse. Vt autem unusquisque codex omnes XVI satiras nostrae aetati tradit, ita ueteribus quoque constitisse, hasce XVI a Iuuenale esse scriptas, inde apparet, quod et grammatici antiqui, praecipue Seruius et Priscianus ex omnibus XVI uersus Iuuenalis nomine laudant neque ulli harum XVI scholia desunt Pithoeana, quae exeunte saec. IV aut ineunte V conscripta esse haud pauci loci sine dubio ostendunt. Tantum autem abest, ut ulla res in VI ultimis satiris commemoretur aut tangatur, quae posterius Iuuenale tempus indicet, ut complures loci (XI, 1. XII, 75, ss. XIII, 17. XV, 27.) nullo alio nisi Iuuenalis tempore eas ortas esse demonstrent. Restant igitur satirae ipsae, quibus accurate perspectis et inter se comparatis etsi non potest euinci, omnium unum

eundemque auctorem esse (diligentiae enim felicitatique imitatoris qui umquam possunt constitui certi fines?), tamen fortasse id perducetur ad uerisimilitudinem summam eamque, ultra quam in talibus quaestionibus raro tantum progredi licet. — Tres autem partes huius dissertationis esse uolui. Nam primum uidendum est, num quae discrimina artis metricae cognosci possint inter priores satiras et posteriores, tum de eis rebus, quae pertinent ad scribendi rationem idem quaerendum, denique, num priorum satirarum scriptoris de rebus diuinis humanisque sententiae discrepent cum eis, quas posteriores satirae continent.

---

# I.

Cum in hac prima dissertationis parte id sim acturus, ut demonstrem, in satiris ed. Ribb. X prioribus eandem artem metricam reperiri, atque in VI reliquis, priusquam ad ipsam rem accedam, paucis opinio tangenda esse mihi uidetur, quae si recte se haberet, oleum et operam perdidissem, cum Iuuenalis uersuum componendorum leges quam accuratissime indagare studerem. Nam et legi et audiui interdum, Iuuenalis uersus reuocari non posse ad tam certas definitasque quae in eum potissimum conuenirent, leges, quam priores Romanorum poetas dactylicos, et hoc ei esse commune cum omnibus posteriorum temporum poetis latinis. Et uerum quidem est, inter poetas, qui post Augustum uixerunt, quod attinet ad rem metricam, non tanta esse discrimina, quanta praebent Lucilii, Catulli, Horatii, Vergilii, Ouidii uersus. Sed multa restant, quae huius uel illius posteriorum poetarum sint propria.

Sic L. Mueller, De re metr. poett. lat. primum in uniuersum tres omnium post Augustum poetarum dactylicorum classes distinguit, quarum prima in uersibus componendis sequitur Ouidium, altera Vergilium, tertia Iuuenalem tantum et Martialem complexa ambigua est inter utrumque; tum autem accuratissima disquisitione instituta permulta, quae cuique horum posteriorum poetarum sint propria, exponit. Videmus igitur opinionem illam, de qua dixi, non ita ualere, ut nihil fere intersit inter posteriorum temporum poetarum hexametros. Ante omnia autem caueas, ne usque eo procedas, quo Haeckermannus, qui Philol. XII, pag. 666 non solum dicit: „*Freilich nimmt es Iuuenal ebenso wie andere Dichter der silbernen Latinitaet mit dem Metrum nicht eben genau*“ sed etiam putat Iuuenalem metri regulas „*mit satirischer Absichtlichkeit um des Effectes wegen*“ interdum contemnere[1]). Omnium quae affert

[1]) Vt prius comprobet, hos laudat locos: III, 232: uigilandŏ, IV, 147: Gētis VII, 15 Bĭthyni XV, 93 „Vascŏnes ut fama est argŭmentis talibus usi.“ Qui omnes excepto primo eam ob causam metro claudicant, quod aut malam codicum lectionem (ut IV, 147. VII, 15) in editionem suam recepit aut ipse uersum mendosum (XV, 93) reddidit. XV, 93 unius uocabuli Vascones forma dactylica mira ei uidetur esse, cum in Varr. lectt. p. XVIII haec dicat: „*in metrico nominum propriorum usu Nostrum licentius versari, aliunde certo scimus cf. IV, 147. VII, 15.*“ Sed in dactylo Vascones minime offendere possumus, cum non solum apud Iuuenalem (u. XV, 124: Britones) sed etiam apud alios poetas complurium gentium barbararum nomina hanc Graecam nom. plur. quantitatem ostendant. u. C. L. Schneider, Formenl. d. lat. Spr. I, 2. p. 307. Vix autem credibile est, eum contra auctoritatem codicum, qui alimentis et elementis praebent in eodem uersu argumentis ionicum a minori esse uoluisse. Attamen talia recte se habere mirum non est, si ei credas Iuuenalem tantopere omnes uersuum componendorum regulas migrasse, ut censeas, I, 52 Hercŭleias VI, 537 cădūceo etc. ex eius ipsius stilo originem ducere. Quousque ueniamus, si tantas licentias poetae concedimus, ex hisce Haeckermanni uerbis apparet: *Vielleicht entschuldigt oder rechtfertigt*

huius anomaliae exemplorum unum tantum iure eum laudasse concedo: III, 232, ubi uigilando breui ultima legimus. Causam huius uitii, quod in Senecae quoque, quae dicuntur, tragoediis occurrit, cum uincendo, lugendo praebeant, facile intellegimus, si consideramus, o finalis correptionem cum usque ad Augustum in perpaucis tantum nominibus et uerbis apud poetas reperiatur, inde ab eius tempore ad omnia fere nomina, uerba, aduerbia in hanc uocalem exeuntia paullatim progredi. Cum etiam eorum aduerbiorum in o desinentium, quae et forma et significatio ablatiuos esse ostendunt, ultima syllaba his temporibus corriperetur, facilior iam erat transitus ad ablatiuorum o finale corripiendum. Nihilominus quinque tantum huius correptionis exempla affert L. Mueller, qui ad ea, quae supra commemoraui mulcendŏ tantum et laudandŏ, quae apud Nemesianum reperiuntur, accedere dicit. — Ad uigilandŏ illud alia quaedam accedunt, propter quae fortasse dixeris Iuuenalem uersus neglegenter composuisse. Sed horum numerus cum sit perexiguus et similia etiam apud optimos poetas uideas, Iuuenalem iure in hoc crimen uocari omnino nego. Si Epŏnam *(cf. Prudent. Apoth. 197)* VIII, 157, Vatīcano VI, 344, si V, 45 et VI 278: ponerĕ et tibĭ ante zelotypus scripsit, horum excusationem habes in eo, quod nominum propriorum et uocabulorum graecorum liberior in uersibus est usus, uulgarem autem uocabuli

---

*sich von dem erörterten Gesichtspunkt aus auch der proceleusmaticus:* strigilibus, *der sich nach Jahn in den MS.* Pω *findet und sich in den vorpithoeanischen Ausgaben erhielt.*“ Tum igitur fieri posse nobis constabit, ut Iuuenalis, quod nemo unquam poeta Romanus commisit, quod unicae Sortes illae (quae quamuis hexametri, compositae sunt ea ratione, qua Plautus et Terentius uersus suos composuerunt) ostendunt, in hexametro arsin in duas breues soluerit. Puto, si ulla alia in re, in re metrica dictum illud aureum Horatii ualere: Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
quos ultra citaque nequit consistere rectum.

Vaticanus[1]) prosodiam ne admittit quidem hexameter. Semel tantum repperi Iuuenalem, id quod plerique classicorum poetarum (neque id minore cura, quam omnino uocabulum in breuem uocalem desinens anteponere duabus consonis incipienti), committere timuerunt, ultimam uocabuli uocalem breuem produxisse sequente uocabulo duabus consonis incipiente: VIII 107 occultā spolia. Semel pedem secundum uerbo dactylico implet: X, 331 destinat. optimus hic etc., quod tamen uitium praeter antiquiores Catullus quoque, Horatius, Cato, Vergilius, Propertius commiserunt. — In duobus tantum rebus maiore libertate usus est, quam ceteri poetae dactylici: in uersibus spondiacis et in hiatibus admittendis. Versuum enim spondiacorum et rarus est usus apud poëtas Latinos post Catullum et certis semper legibus adstrictus[2]). Tales uersus non minus XXXIII habet Iuuenalis, ita tamen, ut fere omnes eis legibus, quae apud plerosque poetas Latinos ualent obtemperantes uerbis tetrasyllabis aut trissyllabis concludantur neque simul in pede quarto spondeum admittant (I. 52. II, 145. III, 17. 120. IV, 53. VI, 71. 80. 156. 246. 296. 429. 465. 620. VII, 218. VIII, 218. IX, 111. X, 88. 151. 304. 332. XI, 68. 71. 133. 138. XII, 121. XIII, 191. XIV, 15. 165. 326. 329. XV, 36.) Duo tantum sunt uersus, quorum his legibus migratis alter, III, 273 „et subiti casus improuidus, ad coenam si“ etc. desinit in uocabulum monosyllabum, alterius, V, 38 „Heliadum crustas et inaequales berullo“ etc. tres ultimi pedes e tribus constant spondeis. Neque autem hac in re unus Iuuenalis uituperandus, sed etiam Ennius, Lucretius, Catullus, Vergilius, Ouidius alii talia commiserunt. u. G. Hermann El. doctr. metr. p. 349. L. Mueller, De re metr. p. 145. — Hiatu omnino abstinent plurimi posteriorum poeta-

[1]) u. Lachmann ad Lucr. p. 37.

[2]) u. Viertel De uerss. poett. latt. spondiacis, Lips. 1863, p. 4.

rum, ceteri raro tantum eum admittunt: Iuuenalis in unaquaque fere et priorum et posteriorum satirarum. Tredecim enim hiatus apud eum repperi: quattuor in hephthemimeri: I, 151. II, 26. V, 158. VIII, 241, quorum ultimus ob id quoque notandus est, quod (ut am in linguam: Prop. III, 32, 45, alia) ultima uocabuli quantum syllaba caesura producitur; octo in penthemimeri: III, 70. IV, 274. 468. VIII, 105. X, 281, XII, 110. XIV, 49. XV, 126; unum in trithemimeri: XII 36[1]).

[1]) Minime autem Lachmannum, qui nimia audacia XII, 32: arbori incertae coniiciendo hiatum in ultima primi pedis syllaba creauit, et qui eam coniecturam probauit, Iahnium sequendos esse censeo, praesertim, cum codd. lectione ne minimum quidem mutata hic locus explicationem satis aptam admittere mihi uideatur. Ex tanta multitudine eorum uirorum doctorum, qui hoc uel illo modo eius sententiam elicere conati sunt, plerique a Schurtzfleischio usque ad Hermannum aut coactas aut quae omnino locum habere nequeant explicationes et coniecturas protulerunt, unus Maduigius (Opusc. II, p. 175) proxime accessit ad eum recte et scribendum et explicandum. Quem in uniuersum secutus locum sic scribendum esse censeo:

cum plenus fluctu medius foret alueus et iam,
alternum puppis latus euertentibus undis,
arboris incertae, nullam prudentia cani
rectoris cum ferret opem, decidere iactu
coepit cum uentis etc.

Primum cum post iam comma posuerim, et nimis duram, quam statuit Maduigius inter et et iam distinctionem evitaui, et hoc adverbium aptissime cum arboris incertae coniunxisse mihi uideor. Gradatio enim fit ex u. 30 ad uerba arboris incertae u. 32, cum ad summum discrimen res sit perducta, si non solum aqua in nauis alueum ingruit, sed etiam malus ex grauissima iactatione (alternum puppis latus euertentibus undis) iam in eo est, ut cadat. Tum cum codd. ω scripsi cum ferret pro conferret, ut molestum asyndeton, quod Madu. inter priorem et posteriorem protaseos partem reliquit, in anaphoram ad huius loci uim aptissimam mutem. Neque puto sententiam ea re obscuram fieri, quod arboris incertae dependentia, ut plenus fluctu, ex eodem uerbo foret a priore hac parte enuntiati seiuncta sunt, uerbis alternum — undis interpositis. Cum enim haec verba integrum uersum efficiant, facile totius protaseos constructio perspicitur.

Vt autem in hisce, ita in ceteris quoque rebus quae pertinent ad rem metricam discrepantia statui potest nulla inter priores satiras et eas quas Ribb. in suspitionem uocat. Initium capiamus a caesuris. Vix commemorandum esse mihi uidetur, ut apud omnes poetas Latinos ita etiam in hisce XVI satiris longe frequentissimam esse penthemimerim. In prioribus X satiris aeque atque in VI posterioribus octaua tantum aut nona pars omnium uersuum penthemimeri caret. Quae et hic et illic aut sola regnat in uersu (ut VIII, 261. X, 46 etc.) quod tamen rarius reperitur, aut coniuncta est cum trithemimeri (ut II, 74. XVI, 55 etc.), cum hephthemimeri (ut VII, 111. XIII, 215 etc.), cum trithemimeri et hephthemimeri (ut II, 101. XV, 10 etc.), praeter hos uarie cum trochaicis. — Sequitur hephthemimeris, praeter penthemimerim aut coniuncta cum trithemimeri (ut II, 68. XVI, 45 etc.) aut cum trithemimeri et tertia trochaica (ut I, 120. XV, 2 etc.). Raro hephthemimeris horum auxilio destituitur, sed pariter in prioribus atque in posterioribus satiris; u. I, 135. VI, 327, 366 et paucos alios uerss., tum X, 229. XIV, 196. 256. XV, 81. XVI, 34. Nullus autem per omnes satiras uersus reperitur, ubi hephthemimeris cum nulla alia caesura coniuncta sit, nisi cum tertia trochaica aut cum tertia et secunda trochaica[1]). — Interdum harum caesurarum solis tertia trochaica et trithemimeri uersus distinguitur, tunc autem fere semper

[1]) Quod enim attinet ad eas, quae cum ea coniuncta sunt, caesuras, haec sex hephthemimeris genera apud poetas latinos L. Mueller p. 198 distinguit:

— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — ‖ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — —
— ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — ⏑ | ⏑ — ‖ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — —
— ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ‖ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — —
— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ | ⏑ — ‖ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — —
— ⏑ ⏑ — ⏑ | ⏑ — ⏑ | ⏑ — ‖ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — —
— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ‖ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — —

quorum tribus ultimis raro tantum utuntur.

bucolica caesura aequabilitalis causa addita. In prioribus satiris notandi sunt hi uersus: II, 146. IV, 120. VI, 192. VIII, 100. 267. XI, 133, in posterioribus: X, 278. XIV, 137. 242. XV, 64. 116. — Singulares uersus, quibus similes apud Iuuenalem reperire nequii, sunt X, 358: qui spatium uitae extremum inter munera ponat et XIV, 108 inuiti quoque auaritiam exercere iubentur. Quos duos uersus, quorum pedes III et IV omni carent incisione, poetae senectus mihi excusare uidetur.

Singularum caesurarum eadem fere est frequentia in prioribus satiris atque in posterioribus. Repperi enim in quinquagenis uersibus satirarum

| | | priorum | posteriorum |
|---|---|---|---|
| trithemimeres | c. | 33 | 32 |
| penthemimeres | c. | 43 | 43 |
| tertias trochaicas | c. | 5 | 5 |
| hephthemimeres | c. | 32 | 30 |
| bucolicas | c. | 28 | 28 |

Fortasse parua quae uidemus discrimina inter priores satiras et posteriores plane euanescent omnibus uersibus in rationem uocatis[1]).

Caesurarum earum, quae sunt post arsin V et VI, rationes accuratius perscrutandas putaui cum quod his efficitur, ut accentuum uersus et uocabulorum congruentia in fine hexametri desit, tum maxime permotus commentatione W. Kocksii, quam ante hos duos annos edidit in progr. gymn. Frid.-Guil. Coloniensis. Comparatis poetis dacty-

[1]) Sin autem discrimina quaedam etiam tum manerent, hoc nullius esse momenti ex eo cernitur, quod inter priores quoque satiras ea non desunt. Si exempli causa comparamus satt. I, II, III cum IV, V, VI, hosce habebimus per quinquagenos earum uersus numeros:

| | trith. | penth. | tert. troch. | hephth. | buc. |
|---|---|---|---|---|---|
| I — III: | 35 | 42 | 5 | 33 | 27 |
| IV—VI: | 31 | 45 | 5 | 30 | 27 |

licis, qui uixerunt per liberam Romanorum rempublicam demonstrat, congruentiam illam accentuum in fine uersuum quamuis natura accentus linguae latinae effectam, tamen a singulis poetis plus minusue esse appetitam. Sed ex parte tantum quaestionem soluit, cum in solo pede V de accentuum congruentia quaereret, neque quae sit ratio huius congruentiae in VI pede. In V autem pede Ennii hexametrorum, qui nobis seruati sunt, uigesimam partem, Lucilii quadragesimam quartam, Lucretii ducentesimam tricesimam, Catulli, cuius uersus omnino sint antiquiore habitu, quinquagesimam nonam, Vergilii rursus ducentesimam uigesimam septimam, Ouidii autem, cuius uersuum pangendorum ars sit summa, sexcentesimam undecimam acentuum congruentia carere ostendit. Quod attinet ad Horatium, Persium, Iuuenalem satiricos, Horatius in Sermm. uel ultra Lucilium in congruentia illa ante caesuram XIII neglegenda recedit, Persius et multo magis Iuuenalis Vergilii rationi appropinquant. Horatius enim cum in Sermm. caesuram XIII trecenties tricies quinquies admiserit, 86 harum caesurarum pedem V accentuum congruentia priuant[1]). In Epp., quippe quarum rem metricam omnino maiore diligentia tractauerit, inter 191 caesuras XIII 36 tantum accentuum congruentiam tollunt. Persius paulo diligentior est in accentuum discrepantia euitanda, cum in 35 uersibus, qui caesuram habent XIII, decies tantum eam admittat. Iuuenalis autem non amplius 24 uersus eam praebent, quamquam 232 caesuras XIII admittit. Itaque hoc modo accen-

[1]) Tria enim sunt genera huius caesurae. Partim congruentiam accentuum seruant, quod fit aut eo, quod elisio uel synaloephe locum habet (ut: Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis) aut eo, quod monosyllabum ante caesuram positum est (ut: Fafidius vappae famam timet ac nebulonis), partim, cum polysyllabum antecedit, congruentiam delent (ut: Non ego namque parabilem amo venerem facilemque) v. Kocks l. l.

tuum discrepantium in V pede numerus ab Horatio ad Iuuenalem minuitur:

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| In Hor. | satt. | 1/6(7) | omnium | 1/24(25) | omn. uerss. |
| | epp. | 1/10 | uersuum | 1/55 | praebet |
| Pers. | satt. | 1/10 | praebet | 1/65 | accentuum |
| Iuu. | satt. | 1/16(17) | caes. XIII. | 1/160 | discrepantiam. |

Caesurarum, quae sunt post sextam arsin, et accentuum discrepantiae eis effectae hanc repperi rationem:

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| In Hor. | satt. | 1/8 | omnium | 1/20 | omn. uerss. |
| | epp. | 1/13(14) | uersuum | 1/32 | praebet |
| Pers. | satt. | 1/19 | praebet | 1/108 | accentuum |
| Iuu. | satt. | 1/18 | caes. XVI. | 1/30 | discrepantiam. |

Hic Horatium quidem uidemus, ut in V pede, ita in VI quoque accentuum congruentiam in Epp. magis appetiisse, quam in Satt. Sed longe aliter res se habet apud Persium et Juuenalem: Cum ille rarissime tantum discrepantiam admittit, Iuuenalis, ut in V pede tractando Vergilii Ouidiique diligentiae appropinquat, ita in VI pede mira usus neglegentia procul ab eis abhorret. Repperi enim in Ouidii, qui fere semper polysyllabo uersum concludit, Metamorph. non amplius tres easque consulto adhibitas (VII, 663. XV, 30 31) in Aeneide triginta quinque accentuum in VI pede discrepantias.

Si Iuuen. satt. priores comparamus cum posterioribus, et hic et illic duodecim uersus in V pede accentuum discrepantiam ostendunt; neque, cum hic numerus tam paruus sit, magni momenti esse censeo, quod in prioribus satt. duodecim uersus 1/202 omnium, in posterioribus 1/117 sunt, praesertim cum in VI pede utraeque plane consentiant. Ibi enim octoginta quinque priorum satt. uersus, quadraginta quattuor posteriorum accentuum congruentia carent: illarum igitur pariter atque harum trigesima fere pars omnium uersuum. — In ipsis autem caesuris XIII et XVI adhibitis mira est consensio inter Iuuenalis satt. Nam et

priorum et posteriorum satt. $^1/_{16}$(17) omnium uersuum caesuram XIII, $^1/_{18}$ caes. XVI ostendit[1]).

Corssen, Ueber Aussprache etc. der lat. Spr. II, 416 comparatis compluribus poetis Latinis: „*Aus diesen Zahlen*, inquit, *ergibt sich, dass es durchschnittlich der vierte bis dritte Theil aller Versstellen war, in denen Hochton und Vershebung in Widerspruch stand, und dass dieses Verhältniss von Ennius bis Claudianus im Ganzen dasselbe geblieben ist.*" Quae etiam in Iuuenalis satiras cum priores tum posteriores ualent. Nam et hic et illic in quinis denis uersibus, i. e. in nonagenis pedibus uicies septies fere uel uicies octies uocabulorum accentus non cadunt in arsin, cum singulae uel complures horum uocabulorum syllabae accentu carentes in arsi positae sint.

Vt autem caesuris turpibus languidisque uersuum formam foedare Iuuenalis timet, itaque hac in re eorum poetarum numero ascribendus est, qui maiorem curam in uersibus componendis adhibent, sic etiam in elisionibus admittendis non est nimius, ita ut uersus eius satis sint expediti et perfacile currant. Duriores omnino non reperies in eius satt., ut primae uersus syllabae elisionem, quae nouies in Hor. satt., semel apud Persium occurrit: Neque, cuius rei item apud Horatium compluria sunt exempla, in ultima uersus syllaba elidit[2]) — In VI arsi sex tantum admittit elisiones per utramque partem satirarum dispersas: I, 102: ego adsum, II, 23: Aethiopem albus, 159: quidem ultra, XIV, 202: Tiberim ultra, XV,

[1]) In prioribus enim satt. 153 caess. XIII, 196 caess. XVI, in posterioribus 79 caess. XIII, 100 caess. XVI repperi.

[2]) Ne quis autem mihi obiiciat, est compluries ab eo cum uocabulo antecedenti in fine uersuum confundi, haec synaloephe potius, quam elisio communis ei est cum Verg. Ou. Pers. et omnibus posterioribus poetis. Reiiciendum autem est, si C. Fr. Hermannus contra codd. VIII, 203 tridentem et, et XIII, 82 Minervae et in fine uersuum ponit.

155: protegere armis, 161: nemore umquam. — In ceteris uersuum sedibus breues syllabas uarie, sed non nimis saepe per omnes satiras elidit, longarum elisiones maxime deuitat eas, quae fiunt in thesibus, cum hic, id quod omnino ueteribus non placuit, saepius in breuibus syllabis, quam in longis elidendae sint. Sic longas uocales uel diphthongos in I thesi quater tantum elidit: I, 73. VI, 50. VIII, 123. XIV, 76, in II semel: X, 333, in III semel: X, 284, in V omnino non elidit. In IV thesi maiore utitur libertate in prioribus atque in posterioribus satiris, cum illic non minus decem (III, 139. 311. IV, 103. VI, 435. VII, 52, IX, 44, 86, 144. XI, 107. 125) hic octo (X, 132. 221. 255. XII, 118. XIII, 24. 61. XIV, 90. XVI, 10) eiusmodi elisiones in ea admittat. Quod attinet ad arses, in prioribus satiris sedecim tales elisiones ostendit arsis II I, 168, 169. II, 61. III, 70. 210. IV, 55. V, 56. 104. 173. VI, 86. 182. 488. 550. VII, 137. 195. IX, 48.), undeuiginti arsis III (III, 162. 166. 169. 171. 237. V, 154. VI, 256. 327. 337. 366. 407. 424. 520. 597. VIII, 169. 170. IX, 36. 103. XI, 151.), quattuor arsis IV (II, 165. III, 246. V, 120. VIII, 109.), duas arsis V (II, 100. IX, 114); in posterioribus terdicies elidit in arsi II (X, 21. 227. 341. 351. XII, 32. 77. 103. 108. XIII, 89. XIV, 24. 219. XV, 148. XVI, 46.), duodecies in arsi III (X, 203. 358. XIII, 183. 190. XIV, 19. 77. 234. 245. 285. XV, 129. 174. XVI, 21.), bis in arsi IV (XIV, 216. 290.), bis in arsi V (X, 52. 63.) — Cum poetarum Latinorum alii pedes spondiazontes omnino non elidant in breuibus uocabulis, alii plus minusue, [1]) Iuuenalis hisce ascribendus est. Attamen quater tantum, bis in prioribus, bis in posterioribus satiris, hoc genus elisionis reperitur: I, 73 aude aliquid VI, 50 paucae adeo X, 333 Messalinae oculis XIV, 76 illi eadem. —

[1]) u. Luc. Mueller, l. l. p. 286 ss.

Iambica uocabula in graui syllaba (nam omnino nullus poeta Latinus in breui iambicum elisit uocabulum[1]) permultis poetis Latinis non elidentibus, Iuuenalis V, 173 pati his VI, 327 morae impatiens scribit. Quorum locorum numero tam paruo suspitionem mouere nequit, quod in posterioribus satiris eiusmodi elisiones non inueniuntur. — Cretica uocabula aut hunc in pedem exeuntia omnino non elidit.

Quod attinet ad prosodiam, Iuuenalis ne hic quidem maiore utitur licentia, ita ut neglegenter eam tractasse dici possit, et hac in re per omnes XVI satiras sibi constat. Quas cum perlegimus, ante omnia conspicua est o finalis breuitas, quae in omnium generum uocabula, nomina, uerba, particulas per ultima liberae reipublicae, prima imperatorum tempora irrepsit. Pauca tantum longae o finalis (exceptis datiuis et ablatiuis) exempla apud Iuuenalem reperiuntur. Sic omnium substantiuorum in o desinentium non amplius tres singulis locis o producunt: nemo XIV, 207. et sequentibus duabus consonis ratio VII, I, caupo IX, 108. Omnino nunquam (praeter occulta spolia VIII, 107) Iuuenalis ultimam uocalem breuem producit sequente uocabulo duabus consonis incipiente, nisi etiam sine positione produci potest. Tales productiones o finalis praeter laudatas tres inueni: I, 108 possideo plus VI, 371 ergo spectatos VIII, 26 agnosco procerem. — Verborum haec decem o finale longum apud Iuu seruant: ignoro III, 43. iubeo VI, 223. uideo 395. XIII, 118. moneo VI. 629. timeo X, 84. caueo XI, 130. taceo XIII, 127. repeto IX, 22. nequeo III, 42. VII, 56. ero IX, 147. — Aduerbiorum, quae in o desinentia Iuuenalis usurpat, dimidia fere pars ultimam producit: merito, continuo, adeo, ideo semper per omnes satiras, ergo, cuius o saepissime breuis est, III, 281. IX, 82. Hisce adiungere possumus

[1]) u. Luc. Mueller, l. l. p. 284.

quandoque, quod semper o producit, cum quando semper ultimam corripiat.

Ad hanc uocalis o fluctuantem quantitatem accedit anceps i finale datiuorum mihi, tibi, sibi et aduerbiorum ubi, ibi. Fere semper breui sunt ultima, longum i ubi et ibi nunquam nisi in compositis ubique et ibidem ostendunt, mihi autem: I, 3. II, 133. VI, 454. VIII, 24. XV, 98., tibi: III, 199. V, 128. 132. VI, 60. 231. IX, 93. X, 363. XI, 75. XII, 93. XIV, 141. 158., sibi: VI, 608. VII, 21. 171. X, 201., pariter, ut uidemus, in prioribus et in posterioribus satiris. Cum nunquam ita posita sint, ut duae sequantur mutae, mutas cum liquidis saepius antecedunt, interdum ultima producta: VI, 283. XI, 60. XIV, 56. XV, 142.

Cum iam supra negauerim, duas primas uocabuli consonas nisi uocabuli in uocalem ancipitem desinentis ultimam uocalem apud Iuuen. producere, restat tantum, ut quaedam dicam de muta cum liquida ea, quae intra idem est uocabulum. Numerus eorum uocabulorum, ubi uocalis hac litterarum coniunctione non producitur, minimus ex hisce tantum constat: lăcrima (decies) pătruus, pătrius, pătria, pătrimonia (tricies semel) celĕbr—, căprea (bis) Cўclops, genĕtrix, ŏcrea (semel). Plurimorum uocabulorum ea syllaba, de qua agitur, semper est longa. Quae omnia hic enumerare longum est. Eorum, quae sunancipitia inter correptionem et productionem primum not minanda: ager, pater, sacer, quorum priores syllabae in cass. obl. saepissime sunt longae per omnes satiras, corripiuntur tantum: IV, 27. VI, 525 — VIII, 244. XIV, 36 — VI, 22. tenebrae et uocabuli aper casus obl. tribus locis e et a corripiunt: III, 225 — I, 23. 141, his autem tribus: XII, 18 — V, 167. XV, 162 producunt. uĭtreo legitur II, 95. uītro V, 48, perĕgrinus IV, 127. perēgrinos VI, 298. — Vidimus igitur, ut in eis quae antea tractauimus,

ita quod attinet ad prosodiam nullum inter priores et posteriores satiras discrimen, quod uel minimam dubitationem de eodem omnium satirarum scriptore moueat.

---

# II.

Accedentes nunc ad alteram huius libelli partem primum, quod attinet ad argumenta, hinc nullam causam reiiciendarum posteriorum VI satirarum sumi posse contendimus, cum C. Fr. Hermannus (Zeitschr. f. Alterthumsw. 1844 p. 73 ss.) ostenderit, XV satirae argumentum, quod facillime suspitionem mouere possit, minime discrepare cum Iuuenalis proposito, ut, quidquid agant homines inde ab antiquissimis temporibus, uotum, timorem, iram, uoluptatem, gaudia, discursus libelli sui farraginem faciat. (u. I, 81 ss.) Nimirum Iuuenalis, ut poeta Romanus, praecipue in Romanorum uitia inuectus est, sed propterea negari nequit, eum facinus in longinqua terra a barbaris commissum in iudicium uocare potuisse. Satirae autem XVI argumentum tantum abest, ut posterioris auctorem temporis indicet, ut contra id ipsum Iuuenali sub Traiano et Hadriano, imperatoribus belli uictoriaeque amantibus, quasi ultro sese obtulisse rectissime iam W. E. Weber, Die Satiren des Iuuenal, p. 604 dicat. „Ex reliquis quattuor satiris de sola XII dissensionem oriri posse puto. Dicat enim quis, non esse satirae Iuuenalianae describere, quomodo poetae amicus „praeter pelagi casus et fulminis ictus“ euaserit et exprimere, quo ille gaudio ob salutem huius inexspectatam affectus sit. At eodem iure postularem, ut sat. XI quoque, qua Persicum inuitat ad simplicem cenam, quam describit,

Iuuenali abiudicaretur. Nihilominus Ribbeckius hanc inter spurias esse non uult. Non eis rebus, de quibus agitur, sed ratione, qua res tractantur, satira fit. Mihi autem hoc aeque pertinere uidetur ad sat. XII atque ad XI. Haec simplicitatem eius cenae, ad quam amicus uocatur, et maiorum comparans cum luxuria, qua Iuuenalis tempore epulabantur, hanc passim perstringit, illa iam u. 48, s. hominum auaritia, quae „argento praeferre caput rebusque salutem“ non audeat, oblique carpta, inde ab u. 93 usque ad finem inuehitur in miseram captatorum adulationem. Et sane sine tali fine sat. XII non esset satira Iuuenaliana, nunc autem tota narratio u. 18—82 nihil est nisi longior digressio, et ipsa satira existit, cum tam egregie inter se opponantur uerum et sincerum gaudium, quo amici salus Iuuenalem afficit, et simulata captatorum ueneratio, ita ut mihi quidem uideatur Iuuenalis priorem partem ob id tantum scripsisse, ut posteriorem adderet. Restant satt. X, XIII, XIV, quas uix uerbo tangendas esse censeo. Etsi enim sat. X peruersas cupidines omnium hominum, qui „sunt a Gadibus usque ad Auroram et Gangen“ carpere uult, tamen semper recurrit ad Romanos et exempla sumit aut ex eorum rebus gestis aut ex eorum tunc ipsum moribus[1]. Satirae autem XIII et XIV argumentis non magis abiudicantur ab Iuuenale quam decem priores.

Iuuenalis satirae aut redactae sunt in epistolarum formam, quas ad certum quendam hominem, quem statim in initio appellat, mitti fingit, aut omnino sine certa allocutione uitia humana carpunt Nunc uero miretur quis,

[1]) Ita etiam in satt. XIII, XIV, XV (XVI enim et XII, quod attinet ad argumenti tractationem, magis accedunt ad priorum satirarum similitudinem), quamquam aut magis in uniuersum agunt de re proposita aut rem a Romanis prorsus alienam tractant, tamen plus minusue exemplis ex rebus Romanis praecipue sui ipsius temporis sumptis utitur.

quod omnes posteriores satirae inde ab XI epistolarum speciem prae se ferunt. Qua in re sane offendere possemus, nisi eam ipsam formam cum Iuuenalis indole maxime conuenientem esse perspiceremus, X priorum autem satirarum non solum et VIII epistolam ad Ponticum datam et V, VIque ita esse scriptas, ut Iuuenalis in illa identidem Trebium clientem, in hac Vrsidium Postumum saepius alloquatur, sed etiam in reliquis satiris permulta inesse, quae haud ita multum abhorrent ab epistolarum forma. Vt enim Persius semper a re proposita aberrans in sententiis generalibus et a rebus ueris remotis uagatur, ita Iuuenalis eam rem, de qua loqui incepit, non plane relinquit idemque non in uniuersum uitia humana insectari, non totum genus humanum aut populum Romanum castigare solet, sed in singula uitia singulorum aut partis alicuius hominum inuehitur. Interdum etiam, ut uitia quaedam carpat, ab unius hominis, quem illa damno affecerunt, condicione profectus semper ad eam recurrit. (u. satt. III, IX, XIII). Hic aut ipse quasi in epistola hominem illum identidem alloquitur (XIII), aut cum eo colloquitur (IX), aut se eius orationem audientem fingit (III). Saepius eos, de quibus cum maxime sermo est, alloquitur, duobus tantum locis paucis uerbis nouae dicendi formae explicandae gratia praemissis:

V, 107: ipsi pauca velim, facilem si praebeat aurem:
XIV, 210: talibus instantem monitis quemcumque parentem
sic possem adfari: „dic, o vanissime“, etc.

Aliis pluribus locis statim ex tertia persona transit ad secundam: I, 142. II, 9. 61. X. 166. XIV, 137. 156. Permultis locis, etiam earum satirarum, quibus epistolarum formam dedit, non eum alloquitur, ad quem ea quae antecedunt spectant, sed simulans se cum homine quolibet colloqui, subito secunda utitur persona: I, 73. 91. II, 66. III, 66. V, 25. VI, 192. VIII, 40. 95. X, 90. 189. 205. 310. 329.

346. XIV, 267. etc. Horum maxime conspicuus est locus satirae V:

> de conuiua Corybanta uidebis.
> iurgia proludunt, sed mox et pocula torques
> saucius et rubra deterges uulnera mappa.

ubi u. 25 lectorem uel alium quemlibet Iuuenalis alloquitur, statim autem sequenti uersu Trebium, ad quem per totam hanc satiram sese conuertit. Etiam XIV, 274,5 mihi equidem prorsus eadem ratio uidetur esse, quamquam de hoc loco in utramque partem disputari potest. Huc id quoque pertinet, passim numeri singularis imperatiuos inueniri, quibus, quisquis est, appellatur: *aspice* II, 166. X, 193. 209. *accipe* VII, 36. *transi* VII, 190. *i nunc* X, 310. — Omnino talibus imperatiuis per omnes satiras uti solet, ubi ad orationem concitatiorem transit: *aspice* V, 80. VI, 261. XII, 61. XIII, 76. XIV, 275. *respice* II, 44. III, 268. VI, 115. *accipe* III, 187. XIII, 120. XV, 31. *cognosce* III, 288. *audi* III, 115. VI, 115. XI, 64. XII, 24. *transi* III, 114. *i nunc* VI, 306. XII, 57. (*adde* XII, 46. XIV, 114. XV, 47 et *cedo* VI, 504. XIII, 210. uix hisce exemplis annumeranda sunt, quod utrumque saepe etiam apud alios scriptores deposita ui imperatiua omnino aduerbii loco ponitur.) Vt autem Iuuenalis multis locis unum quemlibet alloquitur, ita alibi sese interpellari ab aliquo fingit. Quod multo saepius fieri, quam adhuc editores statuunt, mihi quidem constat. Neque hoc fugisse hunc illum eorum, ostendunt Heinrichius et Ribbeckius, quorum ille (ed. t. II p. 225) VI, 53—59 dialogum esse uult, hic X, 346 „*Nil ergo optabunt homines*“ signis additis scribit. Proficiscendum est in hac quaestione ab eiusmodi locis: I, 150. VI, 346. II, 70. etc., quorum prioribus ipse Iuuenalis dicit, fingere se, aliquem illic contradicere, tertio prima persona uerbi *aestuo* non Iuuenalem, sed Creticum loqui ostendit. Comparemus cum hisce I, 139 „*nullus iam parasitus*

erit", XIII, 180 „at uindicta bonum uita iucundius ipsa" et uidebimus, eorum plane eundem esse habitum ac supra laudatorum. XIII, 181 nempe hoc indocti etc. prorsus non intellego, quomodo sint explicanda, nisi statuas respondere Iuuenalem dubitationi ab altero prolatae. Neque mirum est, alternos sermones hic locum habere. Nam et supra uidimus sermonis Iuuenaliani habitum ad colloquium facilem transitum praebere et saepissime sermones satiris intexti sunt uerbis inquit uel dicit non additis: I, 101. 125 s. 160 ss. II, 70. 132. IV, 130. V, 74. 135. 166. VI, 219. 492. 642. VII, 158 ss. X, 67. 71. 81 ss. XIV, 60 ss. Etiam plures interrogationum earum, quibus Iuu. ad nouum quid transire solet (VI, 60. 114. 136. 142. 161. 246. 286. VII, 98. 215. VIII, 39. 183. 211. X, 346. XIII, 71. 174), non poetae esse, sed alterius, qui eum interpellat, ex ipsarum indole apparet. Ribb. eodem iure, quo X, 346 „Nil ergo optabunt homines", haec quoque enuntiata: VI, 136 „Optima sed quare Censennia teste marito?", 142 „Cur desiderio Bibulae Sertorius ardet?", 161 „Nullane de tantis gregibus tibi digna uidetur?", 286 „Vnde haec monstra tamen uel quo de fonte requiris?", XIII, 174, 5. „Nullane periuri capitis fraudisque nefandae poena erit?" signis includere debebat. Qui, quaeso, fieri potest, ut Iuu., quippe qui tota satira VI Postumum, XIII Caluinum alloquatur, VI, 161. 286. XIII, 174, 5 quae interrogationes prorsus e Postumi et Caluini mentibus profluunt quibusque ut ab aliis prolatis statim respondet, non ab hisce sed a semet ipso proferri fingat? Non est uerisimile, eum et identidem ad eos se conuertere et rursus oblitum, illos se adhortari, ipsum secum disputare. — Etsi in singulis partibus eorum, quae per hasce ultimas pagellas disputauimus, locus non dabatur monendi, nihil prorsus interesse inter priores satiras et posteriores, tamen id quisque ex locis supra laudatis cognouerit.

Cum hac, de qua adhuc egimus, dicendi ratione arte cohaeret omne Iuuenaliani sermonis genus latum et diffusum, quod licet in posterioribus satiris praeualeat, nihilominus in prioribus ubique apparet. Epistolicum enim dicendi genus, quod semper appetit, ei permittit, ut et singularum satirarum argumenta quoqueuersus plurimis uerbis tractet, et, quoties se det occasio, multa alia tangat, quae ei forte se obtulerint. Hoc Iuuenalis dicendi genere parum intellecto C. Kempfius inter eas causas, quibus sat. XV spuriam esse probare uult, praecipuam profert hanc, quod complures digressiones totiusque satirae uerbositas, quae et omnino mirum teporem ac lentitudinem et in singulis molestas et intolerabiles tautologias efficiat, sibi cum Iuuenalis sermone congruere non uideantur. Cum cetera argumenta ab eo prolata, tum hoc a C. Fr. Hermanno (Zeitschr. für Alterthumsw. 1844, pag. 73 ss.) et Doellenio (Beitraege etc. pag. 217 ss.) accurata cum prioribus satiris comparatione instituta redargutum est. Laudauerunt singulos locos, ubi idem fusius dicendi genus apparet, et Doellenius sat. XV comparauit (pag. 415 s.) cum XII, cuius simillimum sermonis habitum ostendit. Sed hac comparatione nunc nihil proficimus, cum sat. quoque XII sit inter Ribbeckii declamationes. Ostendendum est, omnium sex posteriorum satirarum languorem et, si hoc uerbo uti uis, loquacitatem non eo nos posse perducere, ut Iuuenalis eas esse negemus. Et profecto si rem accurate perspicias, omnium eorum, quae posteriorum satirarum languorem efficiunt, elementa ubique per priores cognosces. Iuuenalis uersus, quos, ut ipse bene intellegit, natura ei negauit, facit indignatio. Haec poetico ingenio deficiente ad rhetoricam disciplinam se conuertit et ita per omnes satiras plus minusue mirus ille exoritur stilus, qui summum sententiarum ardorem et grauitatem coniungit cum languida ac diffusa dictione. In ultimis satiris, quas Iuuenalem

summa senectute scripsisse constat, haec senili loquacitati aptissima manet, illa magis magisque recedunt, sed cum modo hic, modo illic nobis ocurrant, eundem ac priorum satirarum scriptorem ostendunt. Quantopere Iuuenalis stilus ubique sibi constet, permulti omnium satirarum loci ostendunt, ubi eandem rem aut affinibus uocabulis uel enuntiatis, aut ueris tautologiis, aut figura quam uocant ἓν διὰ δυοῖν exprimit. Verum quidem est, locos, qui per tot uersus, ut XII, 62—67. XVI, 25—34 pluribus enuntiatis eandem semper sententiam, etsi non eisdem uerbis nec sine paruis mutationibus, repetant, non facile in prioribus satiris inueniri, sed simillimo habitu sunt III, 26—28. VII, 41, 2. 53—55. 135—7 etc. Eiusmodi locos minus late patentes per omnes satiras reperies. Maximam quidem partem tautologiae crimen effugiunt, cum aut eandem rem affinibus uocabulis uel enuntiatis congestis declarent (I, 67, 8. 98. 128, 9. II, 14, 64. III, 188, 9. 268. IV, 37, 8. 84. V, 1. 48. 74, 5. 104—6. 132, 3. VI, 11. 21. 29. 50—52. 83. 88, 9. 211. 385—8. 457. 467. 471. 536. 598, 9. 650. VII, 90, 1. 207. VIII, 61. 64. 88. 272. IX, 70. 82. 127. XI, 8. 28. — X, 29 s. 49. 50. 58. 110. 116, 7. 129. 143. 191 ss. 244, 5. XII, 7—9. 48. XIII, 9 s. 143. 230—2. 236. XIV, 1, 2. 13, 4. 36, 7. 120. 187. 188. 236. 327. 328, 9. XV, 11, 2. 24, 5. 29. 33, 4. 40. 41. 55. 95, 6. XVI, 55), aut nunc prioris, nunc posterioris sententiae uis latius pateat (I, 42. III, 48. IV, 117, 8. VI, 87. 186, 7. XIII, 196. 202, 3. XIV, 250. XVI, 15. — VI, 22, 3. VIII, 83, 4. — XIV, 261, 2. XV, 126), aut prior sententia posteriore explicetur (III, 95 ss. 226. 312 ss. VI, 41 ss. 206, 7. VII, 48, 9. XI, 75, 6. 117. — X, 74, 5. 151, 2. XII, 13, 4. 44, 5. XIII, 5, 6. 24, 5. 29 s. 205. XV, 147), aut gradatio locum habeat (I, 65. III, 34, 5. 128, 9. 271, 2. VI, 95. 223. 374. 532. VIII, 81, 2. IX, 21, 2. 79. — X, 12, 3. 361. XIV, 3. 27. 54. 230. 303. XV, 47, 8. 59 s.) Sed eo crimine liberari non posse uidentur: II, 80. 102. III, 26.

135, 6. 287. IV, 152. VI, 25. 139. 200. 237. 268. 286. 311. 359. 493. 658. VII, 3. 48, 9. 53, ss. 84, 5. VIII, 50. 71, 2. 80, 1. IX, 43. 71, 2. 106. X, 9 s. 112, 3. 188. 348. XIII, 28. 189 s. 240. XIV, 16, 7. 31. 42. 56. 188. 281, 2. XV, 26. 79. 129 s. XVI, 35. Figurae, quam uocamus ἓν διὰ δυοῖν, haec exempla sunt maxime conspicua: I, 72: per famam et populum, III, 11: ueteres arcus madidamque Capenam, 169: ad Marsos mensamque Sabellam, 211: hospitio tectoque, V, 34: patriam titulumque, VI, 84: prodigia et mores, VIII, 251: ad Cimbros stragemque, IX, 47: dignum cyatho caeloque, XI, 49: Baias et ad ostrea. — X, 152: Alpemque niuemque, 177. amnes epotaque flumina, XII, 60: cum reticulis et pane, 85: molles focos glebamque uirentem, XIII, 145: incendia sulpure coepta atque dolo, 167: Thracum uolucres nubemque sonoram, XIV, 9: nebulone parente et cana gula.

Haud ita raro per omnes satiras inuenias longas rerum personarumue enumerationes, quarum etsi nonnullae aptissimae sunt ei rei, de qua agitur, ut X, 191 ss. 276 s. XV, 56 ss; I, 85, 6. III, 63 ss., et aliae satis graphice aliquid depingunt, ut II, 149 ss. VI, 162; X, 191 ss. XV, 56 ss., pleraeque tamen nihil sunt nisi artificium rhetoricum, quo sententia uniuersalis pluribus exemplis exprimitur: I, 75, 6. III, 7 ss. 31 ss IV, 121, 2. VI, 289 ss. 352 ss. VII, 11, 2. 67, 8. 133. VIII, 100 ss. IX, 103 ss. X, 35. 64. 79. 94, 5. 131, 2. 133 ss. XIII, 23 ss. XIV, 307, 8. Sic saepe pluribus nominibus enumeratis certam classem hominum significat: II, 145 ss. VI, 265, 6. VII, 94, 5. VIII, 3 ss. XI, 90 ss. 124 ss. XIV, 180, 1. XV, 65, 6. 124, 5 etc. Haec omnia ex sua quidem parte nonnihil conferunt ad fusum tractumque Iuuenalis genus dicendi.

Hoc autem non solum singularum enuntiationum uerbositate et languore efficitur, sed etiam permultis digressio-

nibus, quibus aut eas sententias, quas forte tetigit, longius quam pro satirarum concinnitate persequitur, aut plane a proposito aberrat. Harum ambitus est diuersissimus. Saepe uno tantum uersu constant, haud raro autem per complures sese extendunt. Eis, quas C. Fr. Hermannus (Zeitschrift f. Alterthw. 1844 p. 73 ss.) cum XV, 13—26, 65—72 comparat: II, 102—9. III, 12—20. IV, 95—103. VI, 10—21. VII, 189—201. VIII, 100—110. X, 174—184. XI, 82—89, facile multae aliae addi possunt: I, 40—44. 91—93. 137, 8. II, 143—148, III, 172—179. IV, 46—56. V, 19—23. 36, 7. 97, 8. VI, 23, 4. 94—102. 376—378. 471—474. VII, 90—92. 135—138. VIII, 54, 5. 113—126. IX, 18—20. 79 s. X, 31, 2. 36—46. 95—97. 183, 4. 302, 3. XII, (u. Doellen, Beitr. p. 334) 24—29. 40—42. 48, 9. 57—61. 76—79. 106—110. XIII, 2—4, 42—59. 75, 6. 131—134. 187—192. 199—208. XIV, 23, 4. 117, 8. XV, 110—112. XVI, 4—6 etc.

Nunc autem permultis locis Ribbeckius strictiorem magisque pressum habitum ita dare conatur, ut singulos uersus aut longiores digressiones eiiciat. Sed etsi uera haec esset medendi ratio, nihilominus parua tantum ex parte operi suffecisset. Nam multo plures loci restant, quibus eodem uitio laborantibus medela omnino afferri nequit nisi, id quod iam Ribb. incepit, Iuuenalis plane mutiletur et speciem a se prorsus alienam induat. Nostro saeculo alii alios uersus ut superuacaneos atque ineptos Iuuenali abiudicauerunt. Quorum duas quasi acies distinguas, alteram eorum, qui quam plurimos locos uersibus spuriis foedatos esse uoluerunt, ex quibus primus Pinzger in uniuersum modum tenuit, Heinrichius autem et Ribbeckius sine fine modoque uersus eiecerunt. Altera ex parte W. E. Weber omnes Heinrichii atheteses ut uanas reiecit ratus, quantumuis scio, Iuuenalem liberum a glossematis traditum esse, O. Iahnius et C. Fr. Hermannus totum eius dicendi genus, etiam uersus superuacaneos languidosque tueri atque eos

tantum eiiciendos esse censuerunt, quos retineri non posse certissimae causae euidenter demonstrarent. —In hac quaestione, ut semper cum de incorrupta scripti cuiuslibet integritate agitur, proficiscendum est a codicibus. Ex quibus cum omnino Pithoeanum *summae esse fidei* constat, tum hac quoque in re locum suum tenet. Cum enim eos uersus, qui in eo desunt, in editionibus autem leguntur: V, 91. VI, 126. 308. 558, 9. 632, 3. — nam qui praeterea a paucissimis codicibus deterioribus traduntur, eos nullius esse antiquae fidei per se patet —, multi codd. deterioris classis aut omittant aut modo huc modo illuc transponant, apparet, omnes a Pithoeano omissos uersus, cum in illo codice, ex quo solus Pith. originem duxit, omnino non inessent, reliquorum omnium codicum archetypum in margine tantum habuisse (u. schol. Vallae ad VI, 632, 3: *hi duo, inquit Probus, versiculi in aliis non sunt).* Longe alia est reliquorum codd. condicio. Praeter VI, 126. VIII, 7 enim pauci tantum codd. singulos uersus non habent eosque igitur longe posteriore tempore perdiderunt. Vnius VIII, 7 similis est condicio atque uersuum supra laudatorum, cum, ut VI, 126 quoque, in omnibus deterioris generis codd. exceptis recentioribus quibusdam desit. Dicat nunc quis, ut fere semper, ita hac quoque in re Pithoeani probatam auctoritatem secutis septem illos uersus, quos in eo non legimus, spurios nobis habendos esse. Sed miro modo ante omnia ipse ille uersus, quem neque Pith., neque longe plurimi reliquorum codd. tradunt: VI, 126, nos prohibet, ne temere hoc iudicium faciamus. Eo enim loco, quo eum, quem paulo inferius in uetustis codd. Pulmannus et Io. Cuspinianus legerunt, Henninius posuit, uix potest desiderari, cum caput sit totius criminis, quo Iuuenalis damnat Messalinam. Etiam VI, 558, 9, quibus omissis u. 557 nimis nudus exilisque esset pro Iuuenalis indole[1]), non facile abesse possint, et

[1]) Quod autem ad Ptolemaeum Seleucum mathematicum illum, quo suadente Otho rerum potitus est (Tac. Hist. I, 22. Plut. Galba

VI, 308 paene opus est ob sequentes plurales ponunt etc. VI, 632, 3 et V, 91 superuacanei quidem sunt et prior locus ob papas[1]) fortasse et quae peperit[2]) suspitionem possit mouere, sed V, 91 omni suspitione caret, cum superuacaneum eum esse apud Iuuenalem offensioni esse nequeat, ater autem, quod plerique codd. praebent, commune apud poetas serpentum uenenique epitheton sit. cf. Hor. Od. III, 4, 17. Verg. Georg I, 129. II, 130. Ou. Met. I, 63. Cum igitur in VII illis satt. V et VI uersibus (nam de VIII, 7 infra uidebimus) grauiores causas inesse non uiderimus, cur Iuuenalis eos esse negaremus, nihil nos prohibere uidetur, quominus librarios ex ipsis satiris eos in marginem transposuisse statuamus, et V, 91. VI, 308. 558, 9. 632, 3 quidem ut superuacaneos, VI, 126 autem propter obscoenam sententiam remouisse.

Cum ita uiderimus, codices nos non docere, uersus quosdam esse spurios, nihil restat, nisi ut ad ipsos uersus accedamus et uideamus, quale de se ipsi iudicium faciant. Nam ut codd., ita scholiorum et grammaticorum auxilio in hac quaestione destituti sumus, cum horum temporibus uersus saec. II aut III ab interpolatoribus additi dignosci uix

23. Suet. Otho 4. 6), u. 558, 9 alludi interpretatores recte statuere uidentur, quis est quin concedat, non minus uerisimile esse, Iuuenalem eas res gestas commemorare, quarum in tempora ipsius iuuentus incidit, quam ex Tacito, Suetonio, Plutarcho uersus nostros oriundos ab interpolatore quolibet hic additos esse.

[1]) Papas enim quod uocabulum in media aetate idem significat ac paedagogus, ante hunc Iuu. locum numquam ita usurpatur. u. Du Cange, Gloss. s. u.

[2]) In iis enim, quae antecedunt, de nouercis, non de matribus sermonem esse Paldamus, in Zeitschr. f. Alterthumsw. 1838, p. 1143. monuit. Quod nihil ualere ad suspitionem de hisce uerss. mouendam, iam Heinrichii uera huius loci interpretatio ostendit. Gradationem enim grauissimam fieri uideas ex natis de pellice (u. 627) ad priuignos, denique ad ipsius feminae liberos ex mortuo marito partos, de quibus u. 629 pupillis nominatis in eis quae secuntur, sermo est.

potuerint, uersus igitur suspectos ab eis laudari, nihil nisi tum in Iuuenalis satiris eos esse lectos demonstret. Scholia quidem nonnullos uersus interpretantur, qui quin spurii sint dubitari nequit. Transeamus igitur ad breuiter recensendos uersus a Ribbeckio Iuuenali abrogatos.

I, 14: exspectes eadem a summo minimoque poeta.

etsi deesse potest, tamen ad antecedentia nouum quid addit eaque gradatione cumulat. cf. VII, 154. XII, 55, 6. XIII, 183 etc.[1])

I, 137,8: nam de tot pulchris et latis orbibus et tam
antiquis una comedunt patrimonia mensa.

non magis suspecti esse possunt, quam VII, 77, 8. 194 ss. VIII, 73. X, 303. XII, 36 etc. Saepissime enim Iuuenalis eorum, quae dicit, causam affert, quae si abesset, minime eam desiderares. Ad pluralem comedunt facilis ex iacebis est transitus, cuius multa alia exempla possunt inueniri: u. II, 166, 7. VII, 229, 237, 242. IX, 105 etc. Orbes pretiosi et singulari arte facti XI, 122 describuntur neque ibi, quin uerbo latus magnitudo significetur eorum, omittitur. — Eiusdem generis atque hic locus sunt VIII, 54, 5. XI, 161. 176—178, quos omnes Ribb. non maiore iure eiicit.

II, 102,3: res memoranda nouis annalibus atque recenti
historia, speculum ciuilis sarcina belli.

tantum abest, ut glossematis speciem prae se ferant, ut summa eorum ironia eos et totius loci habitu aptissimos reddat et non interpolatoris, sed ipsius Iuuenalis esse ostendat. Aut pro appositione, eis, quae praecedunt, adiecta habeas, aut uerbum finitum deesse statuendum est, quod saepissime per omnes satiras notes.

---

[1]) Si hic ut in eis quoque, quae proxime secuntur, etiam posteriorum satirarum uersus laudo, uideor mihi id iure quodam assumere, cum eas non posterioris temporis declamationes, sed ipsius Iuuenalis satiras esse, partim iam demonstratum esse partim eis quae secuntur, demonstratum iri putem.

II, 108,9: quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,
maesta nec Actiaca fecit Cleopatra carina.

poetae satirico minime sunt abrogandi. Othonis mollities effeminata in multo maiorem uituperationem incidit, si ne mulieres quidem luxuriosas eum aequasse computes. Tales sententias secundarias, quae etsi sunt superuacaneae, nihilominus magna eis inest uis satirica, habeas I, 129 ss. V, 36, 7. X, 250 etc. Quibus addi potest

VI, 188: cum sit turpe magis nostris nescire Latine.

quem uersum auctore Barthio (Aduerss. XXIV, 5) Rupertius, Pinzger, denique Ribbeckius spurium esse putant. Quod Pinzgero ex loco Ciceronis (Brut. c. 37) hoc glossema originem duxisse uidetur, id ipsum contra eum facit. Nam constat, Iuuenalem saepius ad priorum scriptorum locos respicere. (u. commentarios). Heinrichius, quem hunc uersum aliis suspectum defendisse miror, „magis", in quo Rupertius offendit, rectissime comparatiui „potius" uim hic habere intellegit.

II, 143—148: uicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi,
lustrauitque fuga mediam gladiator harenam:
et Capitolinis generosior et Marcellis
et Catuli Paulique minoribus et Fabiis et
omnibus ad podium spectantibus, his licet ipsum
admoueas, cuius tunc munere retia misit.

a totius satirae II argumento plane esse alienos negari nequit minimeque dubitarem tale additamentum cuilibet alii scriptori abiudicare. Sed aestimationis normam, qua hos uersus metiamur, in Iuuenalis satiris plane nobis deesse censeo. Tanta enim multitudine digressionum et superuacaneorum additamentorum, quae plus minus cum eis, quae antecedunt, cohaereant, uix dici potest, unum alterumue tantopere abhorrere ab eis, quibus est interpositum, ut pro glossemate sit habendum. Nostro quidem loco Iuuenali, cum tantam foeditatem carperet, facile in mentem uenire

potuit, unum tantum esse, quo Romae tale monstrum uinceretur: fuscinam Gracchi. Complurieș in hoc morum corruptorum signum inuehitur et summum dedecus eum habuisse, Romanum nobili genere natum rei gladiatoriae operam dare VIII, 199 ss. ostendunt. Omnino huiusce loci habitus tantopere ad nostri similitudinem accedit, ut ipse nulli suspitioni obnoxius hos quoque uersus Iuuenali uindicet. cf. etiam VI, 133—135. Cur III, 104:

non sumus ergo pares: melior qui semper et omni

uncis circumclusisset, O. Iahnius, cum ante annum sat. VII interpretaretur, firmissimis argumentis demonstrauit. Praeterquam enim, quod hic uersus totam Graeculi descriptionem plane interrumpit, usus linguae Latinae uetat omni apponi ad nocte dieque et molestissime ad haec insuper semper accedit. Non est dubium, quin glossema sit hic uersus. — Neque eiusdem satirae u. 113:

scire uolunt secreta domus atque inde timeri.

quem iam Pinzg. et Heinr. ut monachorum explicationem lectionis aulam u. 112 eiecerunt, retineri posse puto. Si auiam, quod unum rectum esse nemo non intelleget, restituimus, u. 113 locum habere nequit. Inde ab u. 100 usque ad u. 118 paullatim a minoribus uitiis ad maiora res progreditur, haec autem gradatio u. 113 foede interrumpitur. Neque transpositione eum Iuuenali uindicare possumus, cum haec tota Graeculorum descriptio satis diligenter multisque uerbis instituatur, ut unumquodque uitium pluribus uersibus tractetur, curiositatem autem eorum uno uersu contentam esse oporteret. Cur autem Ribb. etiam u. 114:

et quoniam coepit Graecorum mentio,

eiiciat, causam non uideo. coepi quidem perfecti, non praesentis notionem et Lucr. V, 1415 et apud alios scriptores — fortasse Iuu. VI, 434. huc pertinet — interdum habere, notum est.

Praeter hos duos sat. III uersus etiam u. 281:

ergo non aliter poterit dormire? quibusdam

spurium esse censeo secutus uerissimum Heineckii, qui primus eum eiecit, iudicium. Neque enim hic uersus interrogatio poetae per totam satiram tacentis esse, neque Vmbricius ita semet ipse interpellare potest. Etsi enim Iuuenalis saepissime summa est loquacitate, nihilominus tam absurda interrogatione, cui nihil nisi plane idem, quod iam dictum est, responderi possit, orationem producere neque solet neque potest, si quidem ineptissimum poetam eum non esse concedimus. Neque coacta et certe falsa (aliter enim cum non coniungendum ad poterit, non ad dormire pertinet) interpretatio Pinzgeri hanc uituperationem potest effugere, qui talem interrogationis sententiam esse uult: fieri igitur non poterit, quin patiatur noctem Pelidae et male uel omnino non dormiat. dormire autem hic nihil esse nisi dormiendi causa in lecto cubare contendit. — Longe alia autem condicione est IV, 78:

anne aliud tunc praefecti? quorum optimus atque

ubi opus erat interrogatione: anne aliud etc., quod Pegaso tam illustri eius temporis iurisconsulto uilico appellato addendum erat, hoc uocabulo non Pegasum ignominia affici, sed omnino Romanorum sub Domitiano condicionem talibus appellationibus dignam fuisse. — Eiusdem satirae

u. 98: unde fit, ut malim fraterculus esse gigantis

optime cohaeret cum u. antecedenti neque ipse offensioni esse potest. Cum Iuu. praemiserit, nobiles rarissime senectutem adipisci, concludit, potius optandam esse infimam uitae condicionem. Id satis lepide u. 98 exprimit. Fraterculus enim gigantis est unus ex Gigantum manu, qui cum Terrae filii haberentur, Romani autem homines ignotos terrigenas appellarent, horum loco positi sunt.

V, 66: maxima quaeque domus seruis est plena superbis.

item superuacaneus est, ac permultae sententiae generales

passim per omnes satiras dispersae. At nihil peruersius esset, quam partem earum interpolatoribus tribuere, quippe quas cum totus dictionis habitus, tum ei tueantur loci, qui, cum non idem finis eis sit ac uersibus, eiici non possunt: VII, 77, 8. 145. VIII, 73. IX, 18, ss. XII, 55. XIII, 75 etc. Verissimum de loco nostro iudicium Doederlinius in Münch. gel. Anz. XII, 989 pronuntiauit: „*Es ist allerdings eine allgemeine Sentenz und jede Sentenz kann in der Regel wegbleiben, ohne die historische Gedankenreihe zu zerstören. Daraus folgt aber noch nicht, dass sie eingeflickt sei.*

Sic VIII, 140, 1 quoque et IX, 79, s. retinendi sunt neque

V, 140: iucundum et carum sterilis facit uxor amicum.

eiiciendus. Etsi enim amicum multum recedit a ui praecedentium dominus tamen et domini rex, tamen sententiae generali condones uocabulum, quod, quamuis languidius, tamen id, ad quod spectat, bene complecti possit[1]). Eadem fere condicio est u. 138 sat. VII:

sed finem impensae non seruat prodiga Roma.

Ea ipsa particula sed haud raro introducit enunciata ea, quae aut prorsus superuacanea et sine ulla necessitate addita aut sententiam antea ex parte tantum probatam supplentia totos illos locos languidos et claudicantes reddunt. u. III, 232 ss. IV, 27. 96 ss. V, 147,8. VI, 471. 660, 1. VIII, 236. X, 31, 2. 97. XII, 41, 2. 48. XIV, 43. 49. 117. 194.

V, 107—113: Ipsi pauca uelim, facilem si praebeat aurem.
„nemo petit, modicis quae mittebantur amicis
a Seneca, quae Piso bonus, quae Cotta solebat
largiri (namque et titulis et fascibus olim
maior habebatur donandi gloria), solum

---

[1]) Ceterum miror Hermanni uerba, qui praef. XXIII hunc uersum, quamuis ad leonini speciem compositum, tamen retinendum esse dicit. Nam satirarum poetae, praecipue Iuuenalis permultos uersus habent, qui in eundem sonum exeunt, qui est ante penthemimerim.

poscimus ut cenes ciuiliter, hoc face et esto,
esto, ut nunc multi, diues tibi, pauper amicis."

quos uersus primo obtuto glossema esse putes, ipsi huic satirae aptissimum quasi episodium sunt. Maxima enim eius pars cum in enumerandis omnibus eis uersetur, quae per cenam pauperem clientem a Virrone diuite separant, oratio uno semper tenore progrediens quemcumque lectorem defatigaret, nisi interdum breuibus deuerticulis interrumperetur. Eodem modo sat. XI quoque ciborum enumerandorum molestiam deuitat. In nostra satira tales sunt loci 26—29. 72—79. 132—145. Iam supra ut Iuuenalem saepius eos homines, de quibus cum maxime sermo est, alloqui ostenderemus, complures locos collegimus, ex quibus XIV, 210 ss. prorsus ad horum uu. similitudinem accedit. Ad esto u. 113 repetitum complura eiusmodi exempla afferri possunt. Saepius enim Iuu. uehementiore animi motu incitatus uerbum, quod extremo uersu posuerat, sequentis initio repetit. u. II, 135. VI, 34. 166. 279. VIII, 147 etc.

V, 161—165: tu tibi liber homo et regis conuiua uideris;
captum te nidore suae putat ille culinae,
nec male coniectat. quis enim tam nudus, ut illum
bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum
uel nodus tantum et signum de paupere loro?

non magis quam VII, 88, 9. 181. VIII, 134. 194. IX, 29. 99 s. (nec — opibus) cum Ribb. eiiciendi sunt. Omnino permultos Iuu. locos uersibus nonnullis omissis strictiores fieri posse, ex stilo eius facile apparet. Nam omnibus fere eis locis, quos cum ui pronuntiat, quique apud alios scriptores quam breuissimi sunt, Iuuen. multis uerbis utitur, ostendens ex intimo animo eas sibi sententias proficisci. Plane igitur peruersa ratione ei utuntur, qui athetesibus tales locos sanare uolunt, ut Gruppe in Minoe, ubi p. 533 de VI, 116 ss. ita recte disputare opinatur: „*Sehr zu gewinnen scheint mir die Stelle, wenn man sie schliessen dürfte mit den Versen:*

**ostenditque tuum, generose Britannice, uentrem**
**et lassata uiris nec dum satiata recessit.**

*Denn alles übrige ist dagegen matte Ausführung von dem, was schon dasteht und fällt ganz ab gegen den Ton der mächtigen Indignation, der hier die Seele ausmacht. Dazu kommt, dass auch 133—135 (Hipp.-peccant) hier nicht am Orte zu sein scheint; denn im ff. ist wieder von verletzter Scham die Rede" etc.* In talibus rebus non de suo sensu iudicet, sed certis argumentis nitatur is, qui in eandem uituperationem incidere non uult atque Heinrichius, de cuius athetesibus rectissime Weber in N. Iahrbb. f. Phil. u. Paed. 1841 p. 127 s. Hic ipse sat. VI locus optime foeditatem Messalinae depingit, ita ut ne unus quidem uersus desiderari possit. Quod autem attinet ad u. 133—135, eodem iure eiiciuntur ac II, 143—148 etc.

VII, 15: **quamquam et Cappadoces faciant equitesque Bithyni.**

quem uersum Pinzger de uss. spur. grauibus argumentis spurium esse euicit, Hermannus ita seruare conatur ut A s i a n i et B i t h y n i locos mutent et scribatur:

**faciant equites Bithyni,**
**quamquam et Capp. fac. equitesque Asiani.**

Sed nihilominus remanent difficultates. Minime enim uerisimile est, tantum fuisse numerum hominum ex omnibus Asiae minoris partibus Romam in seruitutem abductorum, tum manumissorum et, postquam equites facti sunt, falsis testimoniis rem suam augentium. Neque igitur quidquam ualet, Hermannum XV, 125, ubi non minor nationum numerus insigni cum ui cumuletur, laudare. Nam illi populi re uera propter saeuos mores noti erant. Tum mihi quidem ineptissimum uidetur esse, Bithynis et Cappadocibus simpliciter nominatis Galatas, quos non minus quam illos Asianos esse cuiuis notum erat, tam multis uerbis e q u i t e s A s i a n o s a l t e r a q u o s n u d o t r a d u c i t G a l l i a t a l o appellari. O. Iahnius u. 15 originem duxisse censet ex Suet.

Caes. 39, ubi legimus: „Pyrricham saltauerunt Asiae Bithyniaeque principum liberi."

VII, 51: consuetudo mali, tenet insanabile multos

O. Iahnius ob hasce causas, quibus nihil addi, nihil opponi potest, eiicit: Iuuenalis postquam per discedas omnes poetas allocutus est, orationem ita nequit debilitare, ut ab omnibus recedat ad multos. Totus antem uersus compositus est ex triplici interpretatione uocabuli cacoethes, quo medici (Cels. V, 28, 2. Plin. XXIII 95. XXIV, 7) ulcera insanabilia significare solent. Primum enim per consuetudo mali accuratissime in Latinum conuertitur, tum per insanabile et tenet multos explicatur.

VIII, 4—8 et Curios iam dimidios umerosque minorem
Coruinum et Galbam auriculis nasoque carentem?
quis fructus generis tabula iactare capaci
Coruinum, posthac multa contingere uirga
fumosos equitum cum dictatore magistros,

cum Ribb. ut spurios eiiciat, difficultates, quas praebent, euitat magis quam tollit. Verbositatem, quae eis retentis exoritur, plane ex Iuuenalis indole esse, omnibus eis, qui paullo accuratius satiras eius perlegerint, constabit. Paruam nominum seriem saepius nobis occurrere, iam supra uidimus. Restat igitur ea quaestio, num alio modo succurrere possimus huic loco, quem corruptum esse, omnes qui de eo disputauerunt uiri docti consentiunt. Cum Pinzgerum, qui u. 7. cum duobus codd. ante u. 5. ponit, locum non sanare Hermannus in Mus. Rhen. IV, 454 ss. ostenderit, u. 5. 6. 7. autem ita locum hic habere non posse constet, aut Hermanni aut Heinrichii Iahniique medendi rationem accipere licet. Et mihi quidem non dubium esse uidetur, quin uno u. 7. eiecto integra poetae uerba reuocari possint. Hunc uersum a Iuuenale non esse profectum praeterquam quod codd. deteriorum genus eum non praebet, ipsius habitus demonstrat. Vnum Coruinum ex eis quae antecedunt

repeti nulla est causa, *posthac* molestissimum est, *multa uirga* perobscura sunt. Quidquid Hermannus contradixit, Heinrichii sententia maxime est uerisimilis, ex *famosos* u. 8. nostrum uersum originem duxisse. *Fumosos* autem etiam u. 7. deleto locum tenere potest. Nam cogita, tantorum uirorum prolem ante eorum statuas in atrio constitutas obque id fumosas stare, generis tabulam aut manu tenentem aut ibi collocatam inspicientem et ex ea nomina, aetatem etc. dictatorum equitumque magistrorum ante se stantium pronuntiare, et uidebis propter *fumosos* Hermannum u. 7. retinere non oportere. — Non grauioribus causis, quam hic locus, IX, 118—124 et XI, 165—170 damnantur. Paruae sunt digressiones, quae per se Iuuenali non sunt abrogandae; u. XI, 165—170 difficultates tolluntur, si u. 165, 6 cum Iahnio eiicias. Quid autem de priore loco conclamato statuendum sit, mihi non liquet. Quominus enim Iahnio credam, u. 120, 1 spurios esse, ea me prohibent, quod et *deterior* u. 122 spectat ad *nec lingua mali pars pessima serui*, et u. 119 a deteriorum codd. genere transponitur.

VIII, 111—126 si quis in aedicula deus unicus. haec etenim sunt
pro summis, nam sunt haec maxima. despicias tu
forsitan imbellis Rhodios unctamque Corinthon
despicias merito; quid resinata iuuentus
cruraque totius facient tibi leuia gentis?
horrida uitanda est Hispania, Gallicus axis
Illyricumque latus; parce et messoribus illis
qui saturant urbem circo scenaeque uacantem.
quanta autem inde feres tam dirae praemia culpae,
cum tenues nuper Marius distinxerit Afros?
curandum imprimis ne magna iniuria fiat
fortibus et miseris. tollas licet omne quod usquam est
auri atque argenti, scutum gladiumque relinques
et iaculum et galeam, spoliatis arma supersunt.
quod modo proposui, non est sententia, uerum est;
credite me uobis folium recitare Sibyllae,

plane ex uoluntate sua Ribb. uel scriptor miri illius exemplaris Iuuenali abrogat. Cur enim tanto numero uersuum u. 98—110 addere non uult? Si omnino digressiones tollendas esse censeas, totas, non ex parte tollas. Vix opus est, talem eiiciendi rationem uno tantum uerbo tangere. Sed duo sunt loci in hoc uersuum numero, de quibus, cum a compluribus uiris doctis eiecti sint, pauca mihi erunt dicenda. Prior constat uerss. 111 et 112. Vbi cum Hermanno scribi:

haec etenim sunt
pro summis. Bellos Rhodios etc.

duobus hemistichiis sublatis, ea uetant, quod et uix uerisimile est, locum ita ab Iuuenale scriptum in eam, quam nunc codd. praebent, formam mutatum esse et nihil manifestius est, quam u. 111 et 112 ex tribus glossematis compositos esse. Verba enim si quis in aedicula deus unicus a librario in margine ascripta sunt, ut explicentur si quod spectabile signum, alter addidit haec etenim sunt pro summis, tertius nam sunt haec maxima. Cum autem hae particulae duos uersus non complerent, addita sunt ex eis, quae secuntur: despicias tu. — Alterum locum, u. 124, retinendum censeo, cum neque armorum enumeratio neque subsequens sententia generalis, quae ea, quae antecedunt, comprehendit, apud Iuuenalem sint mirae; Hermannus autem scuto gladioque relictis etiam iaculum demi Afrorum mentionem antegressam uetare rectissime commemoret.

Versuum quos VIII, 202, 3 legimus:

damnat enim tales habitus; et damnat et odit
nec galea faciem abscondit. mouet ecce tridentem,

priorem ob repetitum damnat et quod nulla causa sit, cur illud adeo affirmetur, Paldamus in Zeitschr. f. Alterthumsw. 1838 p. 1144 eiicit, item Rupertius et Heinrichius. Verbum damnat repetitum suspitionem apud Iuuenalem

mouere nequit, quippe qui saepius cum ui quadam uocabula bis ponat. Minime autem mirandum puto, quod u. 202, 3 magna cum ui proferuntur. Si enim Paldamus dicit, patere, Gracchum illos habitus ipsos non uituperasse, sed sibi non opus esse ueste mutata putasse, non minore iure dico, Gracchi illius audaciam et impudicitiam tantas fuisse, ut tales habitus non solum superuacaneos haberet, sed etiam damnaret et odisset. Priorem u. 202 partem damnat — habitus ab ipso Iuuenali additam esse, innumeri eiusmodi loci (de quibus supra disputatum) ostendunt. Ne autem cum Hermanno et Ribbeckio legamus:

damnat enim tales habitus. mouet ecce tridentem

eo prohibemur, quod id ipsum grauissimum est, eum ne galea quidem faciem abscondisse, neque opponi potest, id iam eis quae secuntur contineri, ubi nudus uoltus commemoratur. Nam totius loci uerbositas talia offensioni esse uetat.

Sed uideo, me nimis diu in singulis locis, quos Ribbeckius uel eius uetus exemplar satirarum Iuuenali abstulit, poetae restituendis morari iamque quasi infectum scribendi eius genere in digressionem incidisse, cuius finem non perspicio. Satis mihi est ostendisse, quo iure Ribb. tantum uersuum numerum Iuuenali abrogauerit. Neque alia ratio est eorum uersuum, de quibus nihil disputaui, ita ut mihi quidem constet, ne unum quidem uersum eorum, quos primus Ribb. deleuit, spurium esse. Retineamus igitur eos intellegentes, si ut spurii eiiciuntur, nihilominus similitudinem, quae intercedit inter priores satiras et posteriores, minus tolli quam minui.

De qua quod attinet ad dicendi genus, eis, quae supra dixi de uniuerso stili genere, pauca tantum addenda sunt de inusitatioribus quibusdam uerborum et eligendorum et coniungendorum rationibus, quae ut in prioribus, ita in posterioribus quoque satiris nobis occurrunt.

Saepius inuenias uerborum modos, tempora, numeros, personas mutata, quarum enallagarum primam deterioris generis codd. plerumque aliis lectionibus substitutis remouere conantur. Sed quominus eos sequamur, non solum Pithoeani auctoritas et reliquarum enallagarum numerus obstant, sed etiam id quod tribus locis: I, 55. VII, 185. XV, 171, et metri leges et omnium codd. consensus modos mutatos tuentur. (Altero enim loco Lachmannum nimis audacter condiat coniecisse Hermannus in Vind. Iuu. Gott. 1854 p. 13 ostendit et hic Doederlinii coniecturam crediděrunt paenultimae breuitas, quam Iuu. in III plur. perf. numquam admittit, reiicit.) Octo autem locis modorum enallagen repperi: I, 22—64, ubi cum primum regit ducat, figat, teneat, uentilet, queat, ueniat, summoueant, tum subito indicatiui premit, bibit, fruitur secuntur, quos rursus coniunctiui accipiat, putet, feratur, excipiunt. I, 158, 9: uehatur — despiciet. IV, 101, 2: intellegat — miratur. VI, 214: dabit — excludatur. VII, 185: componat — condit. IX, 144, 146: iubeant — pingit. XI, 130, 1: comparet — despicit. XV, 169 — 171: sufficit — crediderint. — Tempora mutantur: I, 155—157: lucebis — deducis. XII, 62 ss.: iacuit — ducunt, — adest. XIII, 29 s: inuĕnit — posuit. — Numeros mutatos ostendunt: II, 166, 7: uenerat — fiunt, VII, 229—242: imponite — exigite (bis) — inquit. — Ex secunda persona ad tertiam hoc tantum loco et V, 19: quid ultra quaeris? habet Trebius etc. transitum fieri inueni.

Vt autem hac in re, ita quod attinet ad usum participiorum fut. act., quem singulari quodam studio Iuuenalis appetit, priores et posteriores satiras consentire apparet. Quorum cum maior pars ex communi sermonis more id exprimat, quod aut simpliciter futurum est. (I, 34. IV, 10. VI, 44. 277. XI, 8. 13. XIV, 59. 314. XVI, 28.) aut ali-

quis facere intendit (I, 44. 70. IV, 148. VI, 39. 313. VII, 116. 133. VIII, 130. XIV, 49.), nonnulla tamen restant, pro quibus exspectaueris praesentem. Sic et IV, 88 pro locuturi exspectaremus loquentis, et I, 18. IV, 50. V, 32. IX, 58. X, 8. 49. XII, 56 partt. fut. ea tantum significant, quae fert natura eius rei aut hominis, cui apposita sunt.

Formae quam uocant etymologicam haec exempla repperi: I, 16: altum dormiret, II, 3: Bacchanalia uiuunt, VI, 63: Ledam saltante Bathyllo, 425: totum oenophorum sitiens, 485: intonet horrendum, 517: grande sonat. XII, 128: uiuat Nestora totum. XIV, 295: aestiuum tonat.

Notum est, scriptores, maxime poetas Latinos passim pro ne prohibitorio non, nec pro neue coniungere cum imperatiuis et coniunctiuis. (u. Heindorf ad Hor. Sat. II, 5, 91.) Illud apud Iuuenalem tres tantum loci praebent (VI, 451. XI, 185. XVI, 28), nec autem ubique pro neue adhibuisse uidetur, cum illud III, 302. VI, 282, 450. VIII, 188. IX, 99. XI, 186. XII, 93. 130. XIV, 201. XVI, 9 omnium codd. consensu tradatur, unico autem loco, ubi neu legimus XIV, 203, mihi quidem non nimis audacter neu in nec mutari uideatur.

Verbum finitum ab ullo alio poeta Latino tam saepe quam ab Iuuenale omitti uix puto. Non solum enim uerbum auxiliare in unaquaque satira haud raro deest, sed etiam alia uerba multis locis e contextu oportet intellegi. Sic habuit uel cepit omissum est: I, 89, oriuntur: I, 144, 168, ortum est: II, 127, fiunt: III, 309, emis: IV, 25, stat: V, 56. occidisti: VI, 641, alia multa. Tales ellipses interdum maxime consentaneae sunt affectibus, ut I, 89. III, 140. VI, 192. 641. VII, 207. VIII, 9. XV, 35. 48, maximam autem partem quaesitam illam dictionem redolent, qua nemo argenteae aetatis scriptor liber est.

Denique uerbo monendum est, Iuuenalem interdum tam audaci atque poetica breuitate loqui, ut uix credas ab eodem poeta, qui in uniuersum latissimo dicendi genere utitur, tales locos scriptos esse. Eis locis, quae Weber in Iahrbb. f. Phil. u. Paed. XXXII, p. 121 laudat: I, 116. II, 120. III, 16. 201. VI, 295. VII, 86. VIII, 247. XI, 194. XIII, 32 facile plura addi possunt: I, 25. 27. II, 155. III, 74. 203. X, 16. 222. 247. XII, 40. XIII, 121. XV, 140 etc.

Eis, quae hac altera dissertationis parte de Iuuenalis stilo disputaui, nonnullas res ab eo, qui longiore tempore in maiorem quasi familiaritatem poetae intrauerit, addi posse minime negauerim, sed id quidem demonstrasse mihi uideor, et uniuersum dicendi genus et singulas res ad sermonis usum pertinentes non alium posteriorum satirarum, quam priorum, scriptorem prodere. Neque aliter iudicare possum de IV, 1—36 et XI, 1—55 quamquam accuratam de hisce partibus disputationem nunc ipsum polliceri magis quam proferre libet. Hic id tantum addo, mihi quidem constare, Iuuenalem eas non simul cum totis satiris IV et XI composuisse, sed tempore quodam interiecto scriptas cum minores ei esse uiderentur, quam quae per se starent, illis, quibuscum sententia maxime cohaererent, praemisisse.

---

## III.

Quae Iuuenalis de rebus diuinis philosophatus sit, cum ex eius satiris non apparet, tum quantum quidem per has cognoscere licet, omnino huic rei non ita magnam operam dedisse uidetur. Nullo enim loco ne uerbo quidem eas quaestiones tangit, sintne dei re uera, annon, et, cum sint, qualis sit eorum natura. Iuuenalis non est philosophus,

sed scriptor satirarum, quae hominum malos mores persequentes semper in res humanas conuersae raro tantum in deos incidunt. Quos eum credere esse, iam ex eo uerisimile fit, quod passim singulos appellat, ut II, 128 Gradiue, XIII, 81 Neptune. Tum III, 13 de numine aquae ita loquitur, ut quin esset, eum non dubitasse credas. VI, 47, 8 eum, cui pudica uxor contigerit, Ioui iuuencam iubet sacrificari. X, 112, nisi poetico tantum modo mortem circumscribit (cf. III, 265. VI, in. 138. 605. VII, 25. VIII, 126. X, 116. XII, 122), ostendit Iuuenalem non consensisse cum uulgari sui temporis opinione, Orcum omnino non esse. XI, 114 Iouem ait uoce sua priorum temporum Romanos monuisse rebusque Latiis curam praestitisse. XII, in. 83—92, ubi Ioui, Iunoni, Mineruae sacra facturus est pro salute Catulli amici, omnium horum locorum grauissimi sunt, cum nemo sit, quin summam poetae erga deos pietatem hic apparere concedat. Historicum quoque testimonium, de cuius fide dubitari nequit, titulus est Aquini, in ipsa Iuuenalis patria, repertus (u. Mommsen, Inscr. R. Neap. 4312), quo Iuuenalis Cereri (Heluinae, quo nomine ab Aquinatibus culta est: u. III, 320) sacrum ait se dedicasse. Compluribus locis posteriorum satirarum, ubi quid de deis sentiat, pronuntiat, id tantum nos docet, qualem rationem inter eos et hominum mores atque indolem intercedere putet. Non enim quales sint dei separati a mundo, interrogat, sed quales sint mundi hominumque gubernatores. Qualem autem de eis habeat opinionem, ex pluribus locis licet cognoscere. Summa cum ui et contentione sub finem sat. XIII persuadere nobis conatur, summam esse deorum iustitiam et finem facit uerbis:

tandemque fatebere laetus,
nec surdum nec Tiresiam quemquam esse deorum.

Neque tantum mala facinora dei ulciscuntur, sed (u. 209)

scelus intra se tacitum qui cogitat ullum
facti crimen habet.

ad quam sententiam firmandam notam illam de Glauco Spartano fabulam (Herod. VI, 86) narrat. Quodsi saepissime deorum poenam externis signis cognoscere nequimus, tamen ex eo non licet concludere, deos omnino non curare hominum facta. Hi enim seuerissimum iudicem perpetuo in pectore portant: conscientiam, qua dei, qui animalibus „tantum animas, nobis animum quoque“ (XV, 149) dederunt, homines praeditos esse uoluerunt. XIII, 2. 193 ss. Omnino dei omnia ita instituerunt, ut homines boni beatique esse possint; horum igitur ipsorum culpa factum est, ut iam nihil fere boni et incorrupti inter eos exstet. Qua de causa (X, 347 ss.)

permittes ipsis expendere numinibus, quid
conueniat nobis rebusque sit utile nostris.
nam pro iucundis aptissima quaeque dabunt di.
carior est illis homo quam sibi etc.

Quibus prorsus congruunt, quae XV, 143—148 dicit:

uenerabile soli
sortiti ingenium diuinorumque capaces
atque exercendis capiendisque artibus apti
sensum a caelesti demissum traximus arce,
cuius egent prona et terram spectantia. mundi
principio indulsit communis conditor illis
tantum animas, nobis animum quoque etc.

Etiam in prioribus satiris duos inueni locos, qui minime abhorrent ab eis, quos modo laudaui. Quod enim attinet ad conscientiam, IV, 8: nemo, inquit, malus felix et VI, 531 quanto in odio homines scelesti sint apud deos ostendit summa cum indignatione exclamans:

en animam et mentem, cum qua di nocte loquantur!

Hisce locis addendi sunt ei, quibus de naturae praestantia loquitur, cum sit natura, per quam dei corporum atque animorum humanorum leges sanxerunt. Eam optime hominibus consuluisse, et II, 139 et X, 300. XIV, 321. XV, 131. dicit.

Cum hoc, quod uidimus, de deorum prouidentia Iuuenalis sit iudicium — et id quidem in prioribus satiris et posterioribus sibi constans[1]) — mirum non est, eum multis et harum et illarum locis eos deos, quos, praecipue Graecorum, mythologia finxerat, deridere. Sic II, 31. 130. III, 139. VI, 15. 58. 619. X, 313. XIII 39—52. 83. XIV, 261. 271. XVI, 4. aut ad notas fabulas deorum maiestate indignas alludit, aut omnino humanam illam deorum speciem, qualem ueteres poetae esse statuerunt, in risum uertit. Eiusmodi deos etiam VI, 393 ante oculos habuisse uidetur, ubi indignabundus eos ita appellat:

dic mihi nunc, quaeso, dic, antiquissime diuum
respondes his, Iane pater? magna otia coeli.
non est, quod uideo, non est, quod agatur apud uos.

Nam in tales deos, quales in posterioribus satiris depingit, ita inuehi uix potest, nisi forte putas, ei ira commoto similia uerba nostro loco elapsa esse, atque ea, quae XIII, 113—119 Caluinum amicum propter fraudem sibi factam summa ira incensum in deos exclamare dicit.

Vt autem Graecorum poetarum de deis fabulas, ita etiam ceteras mythologiae partes haud magni facit. Saepissime quidem per omnes satiras eis utitur ad poetice ornandam orationem, sed hac re non euincitur eum hisce fabellis fidem habuisse. Quin etiam ipse compluribus locis (X, 174. 246. XIV, 240. XV, 13—26. 117) Graecorum fabulis omnem fidem abrogat.

---

[1]) Sin autem priores satirae non tam diffuse dicunt de deorum mundi hominumque regendorum ratione, non est quod ob eam rem statuamus diuersum horum esse auctorem atque posteriorum. Cum enim in prioribus ardens illa indignatio, qua poeta in hominum peccata omniumque rerum humanarum corruptam conditionem inuehitur, non permittat, ut plura de deis uerba faciat, posteriorum placidiori loquacitati et senili ut ita dicam habitu, ex quo interdum tantum assurgit ad priorum uim atque feruorem, tales contemplationes maxime sunt consentaneae.

Restat nunc, ut quaeramus, num de rebus humanis inter priores satiras et posteriores dissensio intercedat. Quod ut adhuc nemo contendit, ita mihi accuratius satiras perlegenti tantum abest, ut diuersum harum esse auctorem atque illarum in suspitionem uenerit, ut, si aliae causae eam mouissent, iure ea ipsa res summi ad eam oppugnandam momenti esset. Id quod saepissime et ut maxime eius proprium commemoratur, summum eius in mulieres est odium. Neque VI tantum satira unicum eius est testimonium, sed permulti ceterarum quoque satirarum loci, ubi et in singularum feminarum malos mores (I, 22. 69. II, 36 ss. 68 ss. VIII, 130. XI, 186 ss. X, 220. 224. XIV, 25 ss.) et in totius generis prauitatem inuehitur. (I, 39. 55. III, 45. X, 321 ss. 328. XIII, 191.) Sed hoc unum tantum est neque ita magni momenti, si consideres, et in prioribus et in posterioribus satiris multis in rebus idem eiusdem poetae ingenium, idem studium atque amorem, idem odium apparere. Vbique enim eum uirum cognoscimus, quem ardenti morum atque simplicitatis priscorum Romanorum admiratione impletum non solum Romanorum sui temporis uitia summa indignatione afficiunt, sed etiam id ipsum non ferendum ei uidetur esse, quod ante omnia Graecorum barbarorumque uictorum mores una cum eorum diuitiis Romam aduecti magis magisque animos a maiorum uirtutibus abalienauerunt:

XIV, 188 peregrina ignotaque nobis
ad scelus atque nefas, quaecumque est, purpura ducit.

et VI, 292 ss.

nunc patimur longae pacis mala, saeuior armis
luxuria incubuit uictumque ulciscitur orbem.
nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo
paupertas Romana perit, hinc fluxit ad istos
et Sybaris colles, hinc et Rhodos et Miletos
atque coronatum et petulans madidumque Tarentum.
prima peregrinos obscena pecunia mores
intulit, et turpi fregerunt saecula luxu
diuitiae molles.

Praesertim Graecorum nequitiam praeter luculentissimam sat. III descriptionem passim persequitur (VI, 16. X. 174. XIV, 240) et occasione data magnum in eos odium prae se fert. (VI, 185 ss. VIII, 226. XI, 100. XIV, 89). Tum Iudaeos eorumque mores et religionem, ut omnes Romanos, ita Iuuenalem quoque deridere et despicere hi loci ostendunt: III, 17 ss. VI, 159 s. 542 ss. XIV, 96 ss. Omnino antem peregrinae religiones et superstitiones in odio sunt apud eum. Non solum enim per se sunt turpes et insanae (XV, in. XIV, 96 ss. VI, 159. 489. 522. 534), sed etiam Romanam religionem foedis ritibus infecerunt (II, 83 ss. VI, 314 ss. 511 ss.) — Ipsi Romani subiectorum populorum diuitiis, moribus, superstitionibus per longa pacis opumque tempora Romam migratis adeo corrupti et deprauati sunt, ut non solum illorum mores perditos aequent, sed etiam omnium generum uitiis in fastigio stantibus magistros iam superent (I, 87 ss. 147 ss. II, 162 ss. III. VI, saepius, XI, 130 ss. XI, 55. XII, 48. XIII, 28. XV, 59 ss. etc.). Huic morum deprauationi, quae iam omnes fere homines corripuit, comparat priscorum temporum et Romanorum et reliquorum hominum integritatem et simplicitatem (II, 72. 103. 153 ss. III, 67. 137 ss. 163. 312 ss. IV, 103. V, 57. 110. VI, in 45. 164. 287. 346. VII, 207 ss. VIII, in. 98. XI, 77 ss. X, 35 ss. 78 ss. XIII, 38. ss. XIV, 12. 160. 180 ss. 239 ss.). Quae cum nusquam nisi ruri quodammodo seruatae sint, huius est amantissimus, hoc, quotiescumque se dat occasio, laudibus effert. (III, 2. 85. 169. 190. 223 ss. VI, 55. XI, 149 ss. X, 299. XIV, 166—171.) Et huius simplicitas amoenitasque et maiorum uirtus unicum sunt solacium, unica lux, quae desperationi Iuuenalis, cui, „nobilitas sola est atque unica uirtus“ (VIII, 20), cui uita sine uirtute nullius est pretii (VIII, 84, 5. X, 357 ss.), affulget inter immensam scelerum uim, ex qua emersuros non esse homines persuasum ei est.

Nullum igitur inter priores Iuuenalis satiras et posteriores discrimen esse, quod quidem suspitionem diuersorum auctorum mouere posset, et in eis, quae antea et in eis quae in hac ultima dissertationis parte, tractauimus, reperimus. Id autem, de quo usque adhuc semper constabat inter uiros doctos, quodque ego longe absum ut infitier placidiorem dico posteriorum satirarum orationem et maiorem ex parte languorem et teporem, duabus ex causis ne minimi quidem momenti est quod attinet ad nostram quaestionem: Primum enim idem ualet etiam in satt. VII et VIII, quarum utraque commentatio potius est per otium excogitata et rhetorico modo conscripta, quam satira ex ardenti indignatione atque ira oriunda. Tum ne in omnes quidem Ribbeckianarum declamationum uituperatio illa cadit, cum et sat XII plane eodem habitu sit ac V, et XV summae ac uere Iuuenalianae indignationis sit plena.

---

## BERNHARDVS LVPVS DE VITA SVA.

Natus sum Francofurti ad Moenum Non. Mart. a. h. s. XLII patre Carolo, matre Catharina e gente Loreyana, quos adhuc uiuere magnopere gaudeo. Fidem profiteor euangelicam. Inde ab anno CIↃIↃCCCL frequentaui patriae urbis gymnasium, quod usque ad a. h. s. LIII Th. Voemelio, tunc Io. Classeno rectoribus florebat. Instructus ibi artibus liberalibus uere a. h. s. LX ad Georgiam Augustam academiam me contuli operam nauaturus cum theologiae tum philologiae, cuius magnum amorem praecipue I. Classeni et A. Fleckeiseni eximia disciplina in me excitauerat. Biennio post Gottinga relicta huius academiae Rhenanae ciuibus adscriptus sum.

Per hosce quattuor studiorum academicorum annos prodocentes audivi primum Gottingae Curtium, Leutschium, Sauppium philologos, Bertheauum, Dornerum, Dunckerum theologos, Waitzium historicum, Lotzium, Ritterum, Steinium philosophos, tum Bonnae Heimsoethium, Iahnium, F. Ritschelium, Schmidtium, Schopenum, Simrockium philologos, Camphausenum, Plittium, A. Ritschelium, Schlottmannum theologos, Springerum historicum, Brandisium philosophum. Praeterea F. Ritschelii comitate factum est, ut per annum exercitationibus epigraphicis interessem.

Quibus cum omnibus gratias ago quam maximas, tum praecipue O. Iahnio, cuius consilia ut summa nisa doctrina ita liberalissime impertita studia mea Iuuenaliana quam maxime adiuuerunt.

## SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1) Iuuenalis satirae non accurata temporum, quibus singulae sunt conscriptae, ratione habita in ordinem redactae sunt.
2) Iuu. sat. X, 84: „quam timeo uictûs ne poenas exigat Aias" „uictus", quod ex margine in contextum irrepsisse puto, in „uictor" muto.
3) Soph. Oed. Col. 411 *τῆς σῆς ὑπ' ὀργῆς, σοῖς ὅταν στῶσιν τάφοις* aperte corrupta muto in: *τῆς σῆς ὑπ' ὀργῆς, σῶν ἀφεστῶσιν τάφων.*
4) Suet. Aug. 32, in: „Pleraque pessimi exempli correxit, quae in perniciem publicam aut ex consuetudine licentiaque bellorum ciuilium durauerant aut per pacem etiam exstiterant" uerba „correxit, quae", quamuis Memmiano cum paucis aliis codd. aduersante, cum deterioribus codd. retinenda sunt.
5) Caes. B. G. VII, 20 scribo: „persuasum loci opportunitate, qui se *ipsius* munitione defenderet."
6) Caes. B. c. I. 64 in. scribo: „cernebatur equitatus nostri proelio nouissimos illorum premi uehementer ac nonnumquam interrumpi, alias sustinere extremum agmen atque inferre signa — —" (codd: „ac nonnumquam sustinere extremum agmen atque interrumpi, alias inferri signa").
7) Ei, qui digamma in Homeri editionibus typis exprimendum curant, peruersissima utuntur ratione.
8) Disciplinae paedagogicae multo minus, quam opus est, operam dant hodierni philologi.

